



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Fortunæ blandienti non fidendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tiarum hæc sit præses Tutelarîs. Divitiæ plerumque conjunctæ sunt cum fastu, & spectari volunt, ut pavus; qui si admiratorem nullum habuerit caudatas opes contrahit. Per oculos in syrmate pavonino variegatos Mythologi ostendunt, magnas fortunas multis opus habere custodibus, ne surripiantur; & superbiam opulentorum detumescere, si considerent pedes, id est, finem, quem amplæ divitiæ habere solent. Nemo horum beatorum felicitate sua securè gloriatur; terrent vicissitudines fortunæ, & ab externis insidiæ. Quis fortunatior olim Polycrate Samiorum tyranno? etiam projectum in mare anulum per piscem recepit, quasi ne studio quidem sinistram posset accersere fortunam. Sed eventus ostendit, quò locò humana felicitas sit posita. Ab Orate enim Darii Persarum regis præfecto, in summo Mycalensis montis jugo, cruci affixus est. Quod supra diximus. Ne fide; dum fortuna faviens in alios, parcat tibi; suspectam habe, usuram exiget moræ. Hoc cauda pavonis, hoc docent pedes.

VI. (g) Per Junonem in medio ætheris pendulam, (ut demus hoc figmento Homerico) & injectis à Jove vinculis, nulla deorum vi solvendam, intelligitur, virum bonum, neque avaritia, neque ambitione, quod per Junonem indicatur, à recto dimoveri posse: quemadmodum Jupiter neque per Junonis opes, nec per eloquentiam Mercurii, neque blanditiis Veneris, neque Martis minis, neque omnium deorum machinis permoveri potuit, ut plus possent illi in Junone solvenda, vel in terram detrahendâ, etsi ponderibus gravatâ, quàm ipse in ea alliganda, aut retinenda. Mythologus.

VII. (h) Junonio lacte niveam in cœlo stellarum viam signatam esse, & in terris candore lilia picta, denotat, plurimum interesse, quæ sugat infans ubera, an cœlestis sit succus ille & divinus, nimirum à dea, qualis erat Juno, propinatus; an viperinus & orcinus à vipera aut Furia quapiam Acherontica lactenti instillatus. Ille liquor rigabit indolem ad altiora & cœlestia aptam: castam, virgineam, labes & sordes exosam: hic despumabit virus olentis malè Veneris, & animi impurati, inque vitia à primis cunabulis projecti. Felix illa mater, felix proles, cui hæc Lucina faverit; infelix, cum Lamia lactaverit fœtum!

Plura de hoc argumento locis aliis.



SYM.

(g) Vir constans. (h) Refert, quia nutrix sit puorî.